



1672.

1. Bechmann, Joh. Volk : De jure famulorum hodie, qd veteri serorum juri convenit, aut ab eo did. crepat.
2. Bechmann, Joh. Volk : De privilegiis bonorum ecclesiasticorum.
3. Bechmann, Joh. Volk : De angariis rusticorum.
4. Beierus, Adrianus : Dominium artis praemium.
5. Beierus, Adrianus : Resolutio l. & c. de aedif. privo.
- 6<sup>a</sup> & 7<sup>a</sup> Beierus, Adrianus : De jure dormientium.
7. Gaffa, Carolus : Legum natura et discrepantia.
8. Falckner, Johann Christophorus : De jure reconvenendi.
9. Falckner, Joh. Christophorus : De procepm civit.
10. Georgi, Johan Friedrichus : De codicillis et clausula cartulari.



1672.

11<sup>at</sup> Linck, Heinrich : De encensio templorum

12. Mähleppert, Joh. Tobias : De jure revocandi  
Da  
rum

13<sup>at</sup> Richter, Christophorus Philippus : De pallio episcopali.  
2 Sumpt. 1672 & 1678.

14. Richter, Christophorus Philippus : De iudicio sortis.

15<sup>at</sup> Richter, Christophorus Philippus : Placita principum  
2 Sumpt. 1672 & 1735

16. Sagittarius, Caspar : De expositione infantum

17. Schilker, Johannes : De secretariis



eli:

m





11

12

13

14

15

16

17



Q. D. B. V.  
DISPUTATIO JURIDICA  
continens

1672, 5 5

# RESOLUTIONEM

L. 4. C. de Ædif. Priv.

*Quam*

ex

AVTHORITATE & INDVLTU MAGNIFICI  
ICtorum Ordinis

PRÆSIDE

VIRO

NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, CONSULTISSIMO  
*atq;* EXCELLENTISSIMO

DN. ADRIANO BEIERO, U. J. D.

CELEBERRIMO, ET CURIÆ PROV. SAX. ADVOCATO  
LONGE MERITISSIMO,

Dn. Patrono ac Præceptore æviternum  
colendo

*publicè examinandam proponit*

JOH. CORNELIUS Koth,  
RATISPONENSIS

AUTOR & RESPONDENS

*Ad diem Martii horâ locoq; consuetis.*

JENÆ,

Stanno BAUHOFERIANO, Ann. 1672.



RESOLUTION

... die ...

... die ...

... die ...

... die ...

... die ...







## J. J. PROÆMIVM.

**A** Edificia omnia quæ hominis habitandi, com-  
mercia exercendi, pensionemque recipiendi gratiâ ex-  
structa sunt, Urbana non immeritò dicuntur prædia,  
*§. 1. J. de Serv. Præd. l. 1. ff. Comm. præd. junct. l. 198. ff. de*  
*V. S. quia primum ingrediens, ex quo vel vastissima Civitatum cor-*  
*pora componuntur, est Domus, sine qua civitas ne cogitari qui-*  
*dem potest. Hinc magna earum cura Principis, vel qui aliàs po-*  
*pulum regit, esse solet. Romani, cum primum Rempubli. suam*  
*postejectos Reges in ordinem redigerent, Lege XII. Tabb. cave-*  
*bant, ne Urbs ruinis deformetur, vid. §. 29. l. de R. D. Quamobrem*  
*peculiarem etiam Ædilium Magistratum habebant constitutum,*  
*l. 2. §. 21. ff. de O. J. quibus in Corporibus Ecclesiasticis respondere*  
*videntur qui Structuarii dicuntur. Multus insuper ædificiorum,*  
*apud eosdem favor erat, nam quàmvis negotiatio maritima ter-*  
*restrem multis antecedit parasangis, atque adeò res nautica cum*  
*navibus ipsis oppidò esset privilegiata, arg. t. t. ff. de Exerc. act. l. 26.*  
*et 34. ff. de Reb. Auth. Jud. pos. l. 5. et 6. ff. qui pot. in pign. vel Hyp.*  
*Longè tamen erat domuum major, quàm navium favor in hoc,*  
*quòd qui in refectionem domus crediderat, tacitum in ea haberet*  
*pignus. l. 1. ff. in quib. caus. pign. tac. l. 24. ff. de Reb. Auth. jud.*  
*quod in navibus erat secus, vide Magn. DN. Struv. Syntag. Jur. Ci-*  
*vil. Exerc. XXVI. th. 14. circ. fin. th. 26. n. 4. et Disp. XLIV. th. 49. pag.*  
*m. 667. Nimirum, non entis nulla sunt prædicata, & esse Civitatem*  
*prius oportet, quàm debènè esse cogitemus. Cura hæc atque fa-*  
*vor ædium longè apertius ex eo patescit, quòd cum ad novas ex-*  
*truendas non facilè, nisi Curiales, qui proprias non possidebant,*  
*l. 2. C. de Ædif. Priv. ad reparandas tamen ruinosas quisque pri-*  
*vatus obstringebatur, scil. quia Senatores Municipiorum fixas ibi*  
*sedes oportet habere, quod & statutis Locorum plerorumquæ ha-*  
*betur,*



betur, propter onera Reip. quæ perpetuò circa curiam habent,  
& quia plus, præsumitur diligere Civitatem, cum qua fortunam  
communem experiri cogitur: quorsum facere credo, quod Nobi-  
les Salinarii, Salsæ Junferi qui dicuntur, & fixam in loco se-  
dem, & ædes proprias habere jubentur. Reparatio autem magis  
intenditur, quia non minor est virtus, quàm quærere, arta tueri.  
Ad eandem non vicinus modò vicinum, postulatâ damni infecti  
cautione provocare potest, verùm Socius quoque sub commina-  
tione amittendæ, & in reficientem transferendæ portionis: Cujus  
insigne exemplum est in l. 4. C. de Ædif. Priv. quod in præsens pro  
ingenio exercendo atque specimine academico edendo, methodò  
analyticâ tractandum ad manus sumemus. Tu ò DEUS, mentem  
atque calamus dirige, cœptaque secunda! Tu verò Lector bene-  
vole, propitiò judiciò labores hosce juveniles prosequere.

## CAPUT I.

Continet Rescripti Causas & partes.

I.

**F**undamentum translationis nostræ cum sit ipse Textus in d. l. 4.  
neque incongruè fecerimus, si verba integra adscribamus;  
Neque Lector impatienter feret; suntque hæc:

IMP. PHILIPPVS A. & PHILIPP. C. Victori.

*Si (ut proponis) socius adificii ad refectionem ejus  
sumptus conferre detrectat: non necessario ex-  
tra ordinem tibi subveniri desideras. Etenim  
si solus adificaveris, nec intra quatuor men-  
sum tempora cum centesimis nummus propor-  
tione socii erogatus restitutus fuerit, vel quo-  
minus id fieret, per socium stetisse constiterit,  
jus domini pro solido vindicare, vel obtinere  
juxta placitum Antiquitatis poteris P. P. IV.*

*Kal. April. PHILIPPO A. & TITIANO CONSS. 246.*

II. Spe



II. Species, quam textus refert, externa Epistolæ est; Nimirum placita Principum non unâ emanabant formâ, sed vel suâ sponte, atq; propriô motu quicquam constituebant, idq; publicè proponebatur sub Edicti generalis nomine, qualia non Codex solùm Justinianus plura exhibet, sed & alia tredecim eidem, Henricô Agylæo interprete, attexit Gothofredus. Vel ad instantiam aliorum, eorumque vel litigantium, interponebant Decreta, atque Judicis quasi partes sustinebant, sicuti superiori casu reverâ ut Legum Latores agebant. Vel denique simpliciter supplicantium; & Epistolæ, item Rescripta vocabantur, pro ut ipse Justinianus in §. 6. *J. de J. N. G. & C.* diversitatem hanc innuit & apud Interpretes passim uberius legi potest. Nos tanquam minus ad scopum, brevitatilantes, omittimus.

III. In Epistolis & rescriptis considerandæ sunt Personæ literarum commercium instituentes, & thema, seu quam tractant; Materia. Illas ex inscriptione & subscriptione, hoc ex corpore seu trunco epistolæ reliquo cognoscimus; Vulgus Interpretum per rubrum & nigrum tibi distingueret; dum rem ipsam habemus, ad rei modum faciles nos præbebimus.

IV. Inscriptio repræsentat causam Efficientem, & Impulsivam seu elicentem. IMPERATOR PHILIPPUS AUGUSTUS & PHILIPPUS CÆSAR, *Victori.* Ita enim verbis integris exprimere liceat voculas inchoatas, & sigla seu solitarias literas. Nam litera A non Aulum, non Agerium, non Antonium, quos significare quidem etiam potest, sed Augustum denotat. *Vid. Magn. Dn. STRAUCH. tr. de signif. partic. hæc lit.* Augustus à Cæsare quid distet, & quare præponatur, vel ex historia Romana constat, ubi Impp. locio regiminis adsumpto, ad ordinis, ætatis, temporis aut independentiæ differentiam signandam, Cæsaris nomen, quod ipsum aliquando solum potest Imperatorem indicare, imponebant; quod exemplis, si tractatui scribendo essemus intenti, probatum dare possemus.

V. Justinianus noster in præcæm. Instit. Cæsarem se dixisse contentus est; post multa interjecta, semper Augustus audire vult. An quòd adclamationem votivam subditorum voluerit sibi esse in titulum, An quod sine Collega indivisum possederit Imperium



& Cæsarem ignoraverit, sed unus atquē idem & Cæsar & semper Augustus fuerit, jam non disputo.

VI. Ad Philippos transeo, qui sunt Pater & Filius; Ille quidem natione Arabs, obscurò & humili locò natus, propter varia vitia cunctis ἀφόρητος h. e. intolerabilis dictus: nihilominus egregiam ab hoc nomine dictam extruxit Philippopolim, suâque Legislatione multis profuit, ut unus *Tit. C. de Usur.* ostendit, qui leges à 17. ad 24. inclusive eidem fert acceptas. Occupatò post mortem Gordiani Imperiò, Uxorìs Martiæ Otacillæ persuasione fidem etiam amplexus Christianam, ab Episcopo Fabiano baptizatus atque primus Imperator Christianus appellatus est. Mox & filium admodum puerum, antè Caj. Jul. Saturninum dictum, & nominis & Imperii participem esse voluit, Cæsaremque fecit. Sed annò potentix septimò, cùm ad Decium, ab Exercitu (quam invitum) Augustum creatum, debellandum moveret, Veronæ à Decii militibus dolosè interfectus; Idem fatum & filium mansit, qui Romæ à Prætorianis militibus duodecennis occisus est. *Vid. Zoar. tom. 2. Eutrop. l. 9. Euseb. lib. 6. hist. cap. 36. Joh. Latius hist. natural. c. 17. sec. 1.*

VII. Causa instrumentalis non adjecta licèt, dubiò procul fuerunt Consiliarii atque Jcti, quòrum operâ Imperatores utebantur. Neque enim à libero solùm populo cautum, ut nihil quidquam ferè in judiciis sinè illorum auctoritate potuerit peragi; verùm in occupata republ. seu Principali, etiam mansit, si non crevit, idem honor, ut Adriani, Antonini, Alexandri Imperatorum exempla ostendunt, quos nullam sacrasse Constitutionem, nulla dictasse Jura constat, nisi Celso, Julianos, Modestinos, consiliorum Ministros ac Socios habuissent, uti gravissimi Auctores prodiderunt. Neque manca tamen aut minus valida erit propterea Constitutio nostra; quia nihil refert, subditos scire quò ministrò Princeps in unavel altera lege aut instituto fuerit usus: satis est, Principem Autorem esse. Superfluous est Justinianus, quando Tribonianì sui suggestiones allegat §. 3. *Inst. de libertin. §. fin. in med. I. quib. alien. lic. §. fin. in med. I. de fideic. her.*

VIII. Causa procatartica, seu, qui movit Imperatorem ad hoc rescriptum, Victor quispiam est, incertum, utrum Miles Victoriosus, à re ipsa nomen sortitus, an privatus alius, cui ex beneplacito



cito parentum id nominis fuit impositum. Conveniunt rebus nomina sæpe suis, studendum etiam est, ut rebus nomina sint consequentia. §. 3. *l. de Donat.* prout ominosè Saturninus ille, de quo diximus, Philippi filius, austerum gessit nomen, dum tristi adeò fertur fuisse animò, ut nullo jocò ad ridendum solvi potuerit. Multoties verò in hoc acquiescendum, non adeò convenientia ea esse, modò ne penitus contrarium innuant, sicut Imperator §. 5. *l. quib. mod. Testam. infirm.* præoccupat atq; distinctionem rupti & irriti excusat, quod oportuerit eum singulas causas singulis appellationibus distinguere.

IX. Causa finalis est publicus civitatis decor, quem quicumque Reipub. præest, vigili studiò intendit. Apud Romanos ad Curatoris Reipub. officium spectabat, ut dirutæ domûs à Dominis extruantur. *l. 46. in pr. l. de Dam. inf.* & Præses Provinciæ inspectis ædificiis, dominos eorum causâ cognitâ reficere ea compellebat, & adversus detrectantem competenti remediò deformitati auxilium ferebat. *l. 7. ff. de Off. Pras.* Hinc quando Ulpianus *l. 37. ff. de R. V.* dicit: ædificium in alieno solo positum, si citra dispendium queat, ponentem tollere posse: *Cujacius 19. obs. 20. in su.* declarandum putat: si in agro positum; Nam si in Civitate, vix patietur Resp. deponi quod ædificatum est, quoniàm hoc pertinet ad decus civitatis.

X. Ipsum corpus Constitutionis nostræ, duabus absolvitur partibus, unâ, quæ rem ipsam; alterâ quæ circumstantiam temporis denotat, subscriptione videl. quæ est in verbis: *P. P. IV. Kal. April. PHILIPPO A. & TITIANO CONSS. 246.* Hoc est, publicè proposita, quartò Kalendarum Aprilis h. e. 29. Martii, Philippò Augusto & Titiano Consulibus, Annò Christi ducentesimo quadragesimo sexto. Numerabant quippe Romani annos suos juxta Consules; quorum, ut, & reliquorum Magistratum potestas erat annua; quia igitur, quot Consules tot anni, perinde erat, Consulium vel annorum numerum dixisse. Neque averfabantur Consularem tanquam supremam dignitatem Imperatores. Initium autem sumit hæc dignitas Anno ab V. C. 244. & primi creati sunt *L. Jun. Brut. & Luc. Tarquin. Collat.* Maritus Lucretiæ, & nomen hocce Consulium millesimum plus minus annum progressum cum Romanorum Imperio effloruit. XI.



XI. Rem ipsam quod attinet. Imperatores duas rescripti faciunt positiones, alteram corrigunt & rejiciunt desiderium supplicantis, in verbis initialibus; alteram verò, quod rectius fecisset, ipsi, h. e. remedia, quibus uti debet ordinaria suggerunt, in verbis: Etenim si solus &c. Prius membrum continet factum & Jus. Istud dexteritati seu candori supplicantis relinquat, in verbis: Si ut proponis. Hoc verò, decretum, constituunt atque de suo addunt Impp. cujus nervus in universum huc redit, quod socius, qui cessantibus aliis domum communem restauravit, habeat optionem, utrum, actione pro socio id quod interest suam, h. e. impensas cum usuris centesimis intra quatuor mensium, a refectione, spacium recipere, an eo elapsò proprietatem ipsam sibi attribui maluerit. *l. 52. §. 10. ff. pro Soc.* Et ita quidem est, Judex non supplet quæ desunt partibus ratione facti, sed quæ ratione Juris. *arg. tit. C. ut quæ desunt Advoc.*

## CAPUT. II.

### Interpretatio philologica, in verbis & phrasibus occupata.

#### I.

SI, UT PROPONIS) inquirunt Imperatores. Particula SI, conditionis significativa est: facit autem conditio negotia, quibus annectitur pendere, ac ut interea pro non gestis reputentur, donec implementum sequatur v. *l. qui hered. 44. in f. ff. de Condit. & dem.* Unde axioma natum: Conditio nihil ponit in esse. Postquam igitur & nostri Legis-Latores conditionatè rescribunt, nec illi absolutè exaudiri, sed ad casum propositum & veritatem ejus sua verba restringi volunt, quasi non aliter effectu rescripti debeat supplicans gaudere, quam si omnia ita se in rei veritate habeant, uti verbis proposuerat. Solent nimirum supplicantes pro rescripto suis desideriis conformi facilius impetrando, quandoque falsa narrare, vera suppressere, nihilominus postea rescriptum juxta narrata impetratum, & relativè & hypotheticè conceptum, absolutè accipere atque latisimè interpretari. Ideò ut huic malo viam obstruant, clausulam hac & conditione se præmuniunt, ac quasi



9  
quasi præoccupant Impp. uti videre est in l. 2. C. de Cond. ob caus. dat. l. 3. C. si quis alt. vel sibi sub alt. nom. §. l. 5. & 7. C. de Nupt. & c. Ubi Alexander Imperator sua rescripta hoc temperamentò condiit. Idemq; fecisse deprehendimus Gordianum Imp. in l. 7. C. de Nupt. Severum & Antoninum in l. 6. C. de Neg. gest. Aliter exprimunt Diocletianus & Maxim. in l. 4. C. de dol. mal. l. f. C. si minor se maj. l. 6. C. de Reb. cred. l. 3. C. Ne Ux. pro Mar. l. 9. C. de Probat. l. 7. C. si quis alt. vel sibi. l. 3. C. de Naut. fan. l. 2. C. pro Soc. l. 4. C. de contrah. empt. l. 10. C. de act. Empt. Severus & Antoninus l. 2. C. mand. Et Gordianus Philipporum nostrorum Antecessor in l. 2. C. de Edil. Edict. Cum proponas inquierentes, & Philippus ipse in l. 22. C. de Usur. Carinus & Numerianus in l. 17. C. de inoff. test. eadem phrasi utuntur. Cui synonyma est illa: Cum allegas; vel; Si ut allegas, quam frequentissime usurpat Gordianus ille l. 2. C. Ne Fisc. vel Resp. l. 2. C. si advers. Cred. l. 2. si advers. libert. l. 1. C. de Pedan. Judic. l. 15. seq. C. de Usur. l. 5. C. an Serv. pro suo fact. & passim Philippus noster in l. 1. C. de inoff. donat. & c. Nec non ea: Quoniam adseveras, vel: Ut adseveras, sit. Cum adseveres, quâ utuntur Diocletianus & Maximin. Impp. l. 5. C. de Rer. permut. l. 9. C. si cert. pet. l. 12. C. Mand. & Philippi nostri in l. 8. C. de pignor. act. Aliquando cum precibus tuis significes: Cum dicas inquierunt Divi fratres, Diocletianus & Maximinianus, l. 18. C. de Probat. l. 2. C. de Procur. l. 2. C. de Naut. foen. l. 7. C. de fid. instr. l. 5. C. de peric. & comm. rei vend. l. 5. C. si quis alt. vel sibi. Scilicet non sufficit dicere, sed oportet probare: ex qua & non alia causa Alexander Imp. in l. 1. C. de Reb. al. non al. ait: Si Præsidi probatum fuerit, & in l. 2. C. de Don. ant. Nupt. Si Præsidi provinciæ probaveris & in l. un. C. Si adversus dot. An veritas allegationi tuæ adsistat. l. 4. C. si serv. export. ven. Si veritas occusationi aderit. Nec non laudati Diocletianus & Maximinianus in l. 5. C. de Resc. vend. si Præses animadverterit. l. 18. C. de Prob. si vera sunt quæ precibus indidisti & in l. f. circ. fin. C. si advers. Fisc. si aditus rationalis noster, tuis adesse fidem allegationib; animadverterit add. l. f. C. de Precib. Imp. offer. quorsum pertinet Stylus modernus Scabinatum, **Als ihr uns berichtet & seqq. woferne sich euren Bericht nach also verhest.** Nimirum interrogatio & responsio correspectiva sunt & relata; ac posterior juxta priorem exaudienda.

II. NON NECESSARIO DESIDERAS) pergunt; eo que  
B ipso



ipso inconvenienter petitum esse innuunt. Nim. ut maximè Princeps omnia Legum, Jurisque prædicamenta transcendit, ac supra & contra Jus facere possit, nihilò tamen secius à subditis de his rogari gestit quæ Juri sunt conformia, ac sin secus fiat, opem suam denegat, & ad ordinariam Juris viam remittit, ut Exemplò Severi & Antonini in *§. f. 1. quib. mod. test. inf.* videre est. Neque solum hoc in corpore Juris observare est; imò verò complures occurrunt correctiones: quædam molliores, quædam paulò asperius conceptæ & aliquando informatio viæ rectioris adjecta. Mollissimè Dioclet. & Maximin. respondent Laurentio in *l. f. C. si advers. Fisc.* *Nihil adjuvat desiderium res minorum. Sc.* Planè negativè procedunt Severus & Antoninus Impp. in *l. 2. C. ubi caus. fisc.* ac si non capiant Aristæ intentionem: *Non animadvertimus, inquietes, cur velis Sc.* Quod Alexander Imp. Alexandro cuidam in *l. 2. C. de his que vi met.* objicit rescribens: Qua ratione id postules, perspicere non potest. Sed Herenniam in *l. 11. C. Neg. gest.* non justâ ratione postulare arguit. Imò, Clementinæ desiderium planè non habere rationem, assertivè rescribunt Dioclet. & Maxim. *l. 2. C. si advers. vend. pign.* Enim verò, Fœminæ sunt, quarum consilia sæpè contra propria laborant commoda, ne dum contra jura, quæ ignorare permittuntur. Masculis plus fortè rationis residet. Sed enim, nec qua ratione Penthilius quærat, Gordianus animadvertere poterat. in *l. 2. C. de Edil. Edict.* Nullaque ratione Nicam abs se desiderare Philippus noster in *l. 12. C. Locat.* Et Papinum nulla Juris ratione urgere, Dioclet. & Maxim. Impp. in *l. 10. C. mand.* rescribunt. Gratianus causam habebat quidem, sed quam non esse probabilem. iidem deprehendunt. in *l. 6. C. de resc. vend.* Nec justiore continebat Paterii desiderium *l. 11. C. de contrab. empr.* Attici verò desiderium cum Juris rationibus planè non congruebat in *l. 7. C. Depos.* Nim. & Viri veritatis viam ignorant, quod Pomponio Gordianus in *l. 10. ib.* objicit, cum & ipsis falsa persuaderi queant, asserentibus Dioclet. & Maxim. in *l. 3. de comm. rer. al.* ut vel non jure petant, poscantve cum Musæo in *l. 7. C. de pact. inter empt. & Anitia in l. f. C. si sæp. in integr.* vel contra juris formam, postulent, uti Dioclet. & Maximinianus Maximiniano cuidam aures fricant *l. 4. C. comm. utr. jud.* aut contra ejus rationem, quod Legitimus, ejusque consortes *l. 1. C. Ne Fis. vel Resp. coram.*

Gor-



Gordiano fecerant, & ita in forma & modo petendi peccaverant; gravius verò Alexander impingebat, à Laudatissimis Impp. Dioclet. & Maxim. in l. 2. C. de Jurisd. omn. Jud. juris ordinem converti postulans. Æquè inepti sunt, qui circa objectum petendum sunt incircumspecti, ac vel nimis gravia cum Diogene & Ingenua in l. 7. C. de test. vel inusitatum quid atque iniquam rem, cum immodesto illo Modestino in l. 1. C. sicert. pet. atque incivili Alexandro in l. 12. C. de R. Vend. postulant atque desiderant. Sic infaustæ Faustinae desiderium improbum, in l. 20. C. de his quæ vi. met. vocatur. In specie verò, à precibus fisco damnosis abstinendum, & nec juri contraria nec Fisco damnosa postulanda, ut prudentissimè docemur in l. 3. & 7. C. de Prec. Imp. off. Ab illicitis itaque petitionibus abstinendo Antiochus in l. 12. C. de resc. Vend. fecisset consultius. Uti aliquando perperam supplicantes ipsi Imperatores informant vid. l. 8. C. si quis alt. vel sib. sub alt. nom. Sic Antonius Delianæ viam commonstrat rectius agendi. l. 1. C. de Act. empt. & Hyriniam Diocletianus & Maximin. in viam revocant l. 7. C. de Jud. scilicet, quia ubi ordinariò jure tuti sumus, non decet extra ordinem vagari. l. 3. C. si advers. libert. l. 4. C. in quib. caus. restit. non est necesse. Hinc agrè admodum ferebant sæpè nominati Dioclet. & Maxim. in l. f. C. ne Fisc. vel Resp. quod Achilles Fiscum Imperatorium cum propriis suis creditoribus committere satagebat, adversus eos defensionem illius, tanquam potentioris implorans: quam invidiam tamen ejus causâ subire nolunt Impp. quòd tranquillitati suorum temporum non conveniebat, sive quòd Regimen tyrannicum exercere, suoque fisco subditorum invidiam attrahere minimè velint. Sicuti autem Imperatores increpant atque corrigunt perperam supplicantes, ita vicissim viam juris servantes laudant, eorumque desideria commendant: Non immeritò eos desiderare, vel existimare l. 5. C. de Pact. int. empt. & vend. l. 1. C. de Rer. permut. Rectè & de jure postulare d. l. 5. & l. 14. C. de Act. Empt. Novum non esse. l. 2. C. de Apell. respondentes.

III. EXTRA ORDINEM SUBVENIRI) Sequitur illud, cujus correctionem sustinuit Victor noster; desiderat auxilium irregulare atque inusitatum: Nam ordinarium est, quod rectè atque juris ordine solenniter, civiliterque & communi jure fit, quod

B 2

Lege,



Lege, Plebiscitò, Sctis Prætorum Edictis, Principum generalibus constitutionibus; & omninò, quidquid jure scriptò eatenus justum est, ut sit certa, generalis, uniformis Lex, actus humanos generaliter sine speciali personarum inspectu ordinans & quodam ordinato casu dirigens, arg. *l. 5. C. de Annon. & tribut.* Contrà Extraordinarium erit, quod legitimò & usitatò juris ordine non observatò, & citra solennitatem fit; & in specie Judicia extraordinaria, cum legitimus & usitatus ordo, formulæque agendi & litigandi non observantur. §. *f. l. de Interdict.* & Extraordinaria Remedia, quæ non ex Lege Edictove, sed propriò ac speciali Principis vel Prætoris decretò proficiscuntur: Officium Judicis interpretatur Alciatus *l. 1. paradox. c. 10.* nec meâ opinione absurdè, quia ubi formulam excedere potest, vel ubi nulla planè est præscripta, ibi pro lubitu procedere, & quod ratio vel æquitas suggerit, statuere valet. vid. §. *f. l. de perp. & temp. act.* Sic officium Principis haud inconcinnè diceres, si Regia manus imploretur, *simò etnen Machtspruch angeruffen würde.* Transgredi enim jus ordinarium potest. Sic quando nullo juris vinculo adhuc continebantur Fideicommissa, primus Divus Augustus justit Consulis Autoritatem suam interponere. §. *1. l. de Fideic. hæred.* quod, quia successu temporis demum in assiduam conversum dicitur Jurisdictionem, apparet, non statim juris ordinarii fuisse, neque Consules statos dies juridicos observasse, aut ordinariam ad ea Jurisdictionem accepisse, minus autem, omnia fideicommissa conservata fuisse. Aliud exemplum est in Restitutione in Integrum, quæ & ipsa extraordinarium dicitur auxilium in *l. 16. ff. de Minor.* Eam enim Divus Adrianus cuidam Majorenni adversus aditionem hereditatis, sed speciali beneficiò præstitit. Divus autem Gordianus postea Militibus tantummodò concessit, atque sic irregulare auxilium mansit, donec Justiniani benevolentia commune omnibus subjectis Imperio suo hoc beneficium præstitit. §. *5. l. de hered. qual. & diff.* Sic Divus Claudius Consulibus eam Autoritatem dedit, ut pupillis extra ordinem h. e. non servatò ordine agnatorum legitimò, de quo *l. 3. §. 1. J. de leg. tut.* ex agnatis tutores eligere possent, ad ejusmodi functionem maximè idoneos. Non absque mysterio autem *subveniendi* vox, quam & in *l. 7. §. 2. ff.*



f. ff. de Injur. reperimus, posita est, quæ meram gratiam innuit; quemadmodum & in fideicommiss. verba precaria ponuntur, atque civilibus, quibus tunc uti licet, ubi jure civili ordinariò muniti sumus, contradistinguuntur, Nim. longè confidentius agimus tantò muniti præfidiò; Quò destituti, sicut animum despondemus, ita de voce virili multum remittimus.

IV. QUATUOR MENSIVM TEMPORA) Diversa sunt præscriptionum fatalia, ut constat ex tit. ff. de divers. & tempor. præscript. ibique Dd. præprimis Cujac. in pragmatia de diversis temporum præscriptionibus & terminis. Tom. 1. operum pag. 179. seqq. Nostra hæc quadrimestris, propria & peculiaris est restaurationi ædium collapsarum, ad quas extruendas partim evitandis pœnis, partim propositis præmiis erant invitandi cives. Erat enim Roma Urbs veteribus incendiis vasta & deformis, atque laborabant Imperatores in ea pristino nitore restituenda: Sic (1) Divus Marcus oratione ad Senatum habitâ, Patrum obtinuit decretò, ut qui ad restorationem ædificii pecuniam crediderit, legale, sive tacitum in ea pignus haberet; quod laudant Ulpianus & Papinianus in l. 24. §. 1. ff. de reb. aut. Jud. poss. l. 1. ff. in quib. caus. pign. tac. supervenit & temporis, seu prælationis privilegium l. 26. ff. de Reb. Cred. l. 5. infin. ff. qui pot. in pig. & l. seq. in prin. ad hoc, ut tantò plures essent, qui ad reficienda ædes, quas refici publicè interest, invitarentur, notante Gothofredò ad dict. l. 1. mihi num. 3. 4. & seqq. quod si privati non essent, Resp. sumptibus publicis extruet, & cessante Dominò expensas refundere, jure easdem distrahet l. 46. §. 1. ff. de dam. inf. Præprimis commendatur (2) studium Vespasiani Imp. à Suetonio in verbis: Deformis Urbs veteribus incendiis ac ruinis erat! Vacuas areas occupare & ædificare, si possessores cessarent, cuicunque permisit: & Victor Romam deformem incendiis ac ruinis reparavit. permittit, si Domini deessent, volentibus ædificii copiâ. Divus Hadrianus ædificantibus ipsam dominium concessit statim, arg. l. 5. C. de Edif. Priv. Socii verò quatuor menses per D. Marcum quasi præstolari, atque collegæ exiguum hoc spacium dare jussi sunt v. Cujac. 19. O. 20. neque id gratis tamen, sed gravissimis usuris; quò elapsò, proprietatem in solidum sibi vindicare permittuntur. Oratio enim Div. Marci idcirco quatuor mensibus finit usuras, quia postquatuor, Dominium dedit. l. 52. §. 10. ff. pro Soc.



V. CUM CENTESIMIS) intellige usuris: quas dicimus, ubi centesimò mense sortem ipsam referant, in singulos annos duode-  
na pro centū conficiunt; Et ita melius quàm CERTIS *in l. 52. §. 10. ff. pro  
Soc.* legitur. Solebant enim olim non in annos, sed singulos men-  
ses stipulari usuras. Et hoc, quòd conduceret, à foenebri pecunia ci-  
tius melius liberari: quod in Rebus pub. negotiationibus magè ad-  
dictis sagaciores mercatores hodiernum facere solent, ut qui occa-  
sionem habent, vel altero mense sortem cum usuris lucrandi, re-  
stituendique.

VI. NUMMUS) Neque verò est simile, unicum fuisse ex-  
pensum; neque multum enim in hoc negotiorum genere unico  
nummò profeceris; neque denique humanum foret, ob tantillas  
expensas ipsam rei desiderare proprietatem: oportet igitur Num-  
mum hìc non individualiter pro certa numismatis specie, sed ge-  
neraliter positum esse pro pecunia: *Sein Geld/ den Vorschuß oder  
Verlag/* neque sine mysterio; quia minutatim expendit, non per  
integras summas, cum mercenarii salaria vel diurna vel certè heb-  
domataria petant, nec expectent donec in magnam excrescant  
quantitatem; sic & tigna non magnis emuntur summis. Velut  
Germanus noster, quoties minutas pecuniæ summas intelligit, num-  
mi, nomine *Pfennige/* exprimit, sicut in hujus oppidi statutis de vini  
& cerevisiæ venditione usurpatur, *verpfennigen/ h. e. zu Gelde ma-  
chen / verzapfen/ verschencken/* *vid. Tit. vom Burger-Recht §. 4. verb.  
welcher Bürger oder Bürgerin/ auch Bürgers Sohn/ so bey gemeiner  
Stadt Wein oder Bier schencken oder verpfennigen will. & Vini-  
tores mercedem operarum poscentes, inquit: Sie wollen Pfenn-  
nige holen.*

VII. PER SOCIUM STETISSE.) Phrasis est impedimenti  
significativa, de eo prædicari solita, qui rei vel causæ remoram,  
ponit, vel ipse intervenit. *Der sich in Weg/ oder darzwischen leget/  
qui causa moralis est eventus contrarii, an dem es gelegen ist/ wo-  
ran sichs steckt oder stößt.* Sumptò dicendi modò à clypeis, seu pro-  
pugnaculis & antemuralibus partibus pontium, den Eißwehren/ quæ  
fractæ glaciæ avertendæ sistendæque constructa sunt, wieder die es  
fährt / per quæ glebæ stant & protuberascunt. Est hæc phrasis  
juri nostro usitatissima, passim occurrens. *Vid. l. 81. §. ff. de Cond.*  
et







quil. l. 5. C. quan. dies leg. in fin. verb. Jurisprudentibus placuit. verum in Principum quoque Consistoriis thema propositum per Consiliarios ventilatur, donec Principi certa placeat sententia. v. §. 25. ibi: placuit media sententia J. de R. D. §. 4. ibi: sed placuit tantum emptionem. l. Lotat. §. 13. & 14. verb. placuit Nobis. l. de inutil. stipul. ubi non tam pro activa dispositione & jussu, sed tolerantia & approbatione sumitur. Germ. Wir lassen es uns gefallen, quâ phrasi Elector Saxoniz in Noviss. decis. haud infrequenter utitur.

X. ANTIQVITATIS) Hæc quandoque mores vetustos & res gestas significat, quando videl. Imperator in §. 1. l. de Test. ord. vult, ut nihil antiquitatis penitus ignoremus, quibus sc. ritibus ac ceremoniis circa testamenta condenda usi quondam fuerint: quandoque Leges antiquas, & præprimis fontem totius Legislationis Romanæ denotat; ut quando §. f. post. med. J. de Succ. ab intest. antiquitas inter filios & nepotes ex filio divisionem hereditatis in stirpes statuisse; similiter sensu §. 15. prin. eod. Vetustas ex masculis progenitos plus dilexisse dicitur. Aliquando homines illius seculi indicantur, atque adeo abstractum pro concreto ponitur. pr. J. de Satisd. Satisfactionis modus alius antiquitati placuit, alium novitas per usum amplexa est. §. 3. J. de Legat. Antiquitatem invenimus legata strictè concludentem. Sic §. 7. J. de Fideic. hered. Antiquitati stipulationes ex Scto Pegasiano descendentes dicuntur displicuisse. In specie verò veteres prudentes, & quæ illi per Disputationes scholasticas introduxerunt, subintelliguntur, atque tum reliquo juri recentiori, novæque hominum conversationi, §. f. l. quod cum eo &c. tum juri noviori per Principes juniores constituto contradistinguuntur. §. 3. l. de Donat. junct. §. 5. l. de Exher. lib. vocanturque in l. 3. C. per quas. pers. acq. Antiquâ Sapientia. Utrum verò & Philippi nostri per Antiquitatis Placitum, Jctorum veterum intellectum velint aliquod institutum? dubitare facit Gothofred. ad h. n. L. mihi. num. 47. ubi Orationi Divi Marci adscribit. Et sanè, non absque mysterio singularem ponunt Imperatores numerum, quasi unicò actu jus hoc introductum fuerit, quod Jctis, quorum responsa quondam non nisi diutinâ Populi receptione, & sic moribus magis, quàm ex Scriptura invaluerunt, vix competet. Ac si, post acceptam ab Augusto respondendi licentiam, certus ex iis hujus juris

Autor



Autor existeret, nomen ejus ignorari haud passi fuissent reliqui; Sicut Q. Mutii Nomen, ob cautioem adversus conditiones negativas inventam, conservatur; & Marci Imperatoris Autoritati huc pertinens dominii acquisitio in l. 52. §. 10. ff. pro Soc. attribuitur. Nec absurdè Antiquitati adscribitur, quod seculò est antiquius: Nam & Hadrianus Imperator id statuisse perhibetur: postquam igitur Marcus id firmavit, quid vetat, placitum, probatum vel receptum dicere?

### CAPUT III

sub forma Consultationis Aulicæ facti  
speciem, cum rationibus dubi-  
tandi ac decidendi strictim  
persequitur.

I.

UT hætenus dicta ad certam applicemus speciem, fingemus: Recitatum in Consistorio Principum Victoris alicujus deprecationem adversus Fabium Pertinacem Cunctatorem, communium ædium socium, quem neque ab initio ad ruinosarum refectionem, neque ad sumptuum abs solo se, cum periculum in mora esset, factorum effusionem, ullo modò quiverit inducere; Causam Consiliariis ad deliberandum propositam atque adeò hinc & inde disputatum fuisse: Quò fundamentò nitatur supplicans, qualive dignandus responsò fiet? Juniores, ut mores est, sententiam primi dicere jussi, ob vegetam ætatem calidiores, citra distinctionem alii deferendum censent; æquissimum putantes, ut (1) sociorum par sit conditio, & qui ad Lucrum æqualiter velit admitti, damnum, vel certè onus, citra quod ad questum venire non potest, ferre non detrectet: Ex nihilo enim nihil fit. Germ: mit nichts gewinnt man nichts. Quòd si (2) alius locò ipsius intereà sustinuit atque expediit, ingratißimus foret, minimeque ferendus, si refundere detrectet, quum & operã alterius gratis uti, & cum illius jacturã locupletari studeat: Nam hoc naturã æquum est, neminem cum alterius detrimento fieri locupletiozem, inquit Pomponius tùm libro 21. Ad Sabinum, tùm lib. 9. variarum lectionum

C

l. 14.



*l. 14. ff. de Cond. ind. l. 206. de R. I.* Facit (3) quòd res communes, dum alter alterum moratur, ut plurimum negligentius curantur, eaque propter necessum magis est, ad opus ferventius tractandum, omnes, præprimis cunctatores studiosè impelli. Non dicam (4) domum cuique tutissimum refugium *l. 18. ff. de in jus. voc.* atque rem vitæ nostræ maximè necessariam esse, cujus conservationi, vel ob privatum propriumque interesse, quilibet suâ sponte intentus esse, nec imperium Magistratûs expectare deberet; negligentia tantò illustriora dans specimina, quantò certius est, publica minus curaturum, quem sua non tangunt, non afficiunt propria. Accedit (5) Publicus Civitatis adspectus, ædificiorumque favor: Si enim non una & altera reponitur tegula, matureque tecto succurritur cadenti, tandem integra vitiabitur contignatio, sumptûsque decuplò majores erunt faciendi, quos in res alias longè utiliores potuissent impendere, aut futuræ Reip. necessitati servare: Nam & hoc inter signa corruptæ Reip. & labascentis disciplinæ connumeratur, si subditis non ansa modò lucrandi suppeditatur nulla, sed insuper negligentia prodigalitatiq; eorum conniveatur.

II. Alii, ut naturalis est ad dissentendum inclinatio, in aliâ omnia eunt, atq; pariter sine discrimine deferendum existimant. In facto quippe consistat (1) vel domum ipsi, vel Socium esse, atque (2) illam ruinofam, hunc verò morosum extitisse; tam diu pro aliquo præsumitur, quòd sit bonus, & consequenter, quòd etiam sit paterfam. vigilans, donec probetur contrarium. Factum est, (3) quòd admonuerit alterû vel de ruina, vel de contributione vel refarcitione; Forfan enim confestim & clam altero prorupit ad opus, spe Domini nanciscendi. Quòd si ergò (4) suò sumptûs fecit nomine, non intentione alium sibi obligandi, non potest mutare consiliû. *l. 27. §. 1. l. 34. l. 44. ff. de Neg. gest. l. 11. c. 15. C. eod.* Cessatque negotiorum gestorum actio, quoties quis aliena negotia sui lucri causâ gessit. *DN. Struv. Synt. Jur. Civil. D. VII. th. 47. in pr. l. 6. §. 3. ff. Neg. gest.* Facti denique (5) annon mutua, seu reciproca sint obligationes, atque Socius compensationes aut reputationes allegaturus sit? Probè insuper (6) ponderandum volebant, quòd supplicans fateatur, in alieno se ædificasse, atque adeò alterum Dominum effecisse.



cisse, quòd si ergò in possessione non mansit, remèdium ipsi superesse nullum. *l. 48. veb. neg. à Domino peti possunt. ff. de R. V. DN. Struv. XI. 36.* Possit insuper (7) locius alter ædificationi contradixisse; jam verò in communi potior semper est, conditio prohibentis. *l. 28. ff. Comm. div. l. 11. ff. de Serv. Præd. Rust.* tumque cessat negotiorum gestorum actio. *l. f. C. de Neg. gest.* Quinimò (8) qui negotium gerit commune, ita demum socium sibi obligatum habet, si suum negotium seperatim gerere potuerit. *l. 40. ff. de Neg. gest.* quod itidem in facto consistit: Audiatur igitur & altera pars! contra non citatum neque auditum nulliter proceditur, *arg. l. 39. ff. de Adopt. l. 47. pr. ff. de re jud.* non decet Principem esse præcipitan-tem, atque uni supplicantium mox utramvis aurem præbere. Sed enim, (9) & ipsum hoc non aliter, nisi causa aliàs ad Principis tribunal pertineat; neque enim faciliè præteriri intermedius potest, *l. 4. C. de Jurisdic. omn. Jud. l. 1. §. 3. l. 21. pr. ff. de Appell. Ord. Cam. p. 2. t. 29. pr.* Licèt enim solus Princeps duritiam Legum manifestam Imperatoriâ possit emendare interpretatione *l. 19. & f. C. de LL.* & in casibus mediis saltem, ubi verba Legis non sunt usque adeò clara, ut excludant omnem interpretationem ex bono & æquo; neque tamen sensus usque adeò obscurus, quin voluntas & sententia Legislatoris elici possit, locus datur interpretationi Icto- rum & Judicis. *d. l. f. C. de LL.* exemplum habemus apud *DN. Struv. Ex. XIV. th. 17.* non tamen ab ipsa Majestate confestim petemus interpretationem, ubi paululùm res videtur obscura, sed si tanta sit, ut de mente ejus haut possit constare. *d. l. 9. C. de LL. DN. Struv. Ex. I. th. 39. f. & II. 47. c. f. ibiq. allegg.* at verò eam faciem res præ- sens neutiquam habet, non opus igitur ut extra ordinem succurra- tur.

III. Paulatim sic ordo ad superiores delatus est, uti ætate grandiores, ita consiliò maturiores, ac paulò frigidiores. Hi, dum juniorum disceptationes auscultando tempus & ansam naçti cau- sam profundius introspectendi, utrosque suò modò sequendos animadverterunt, atque ex utrorumque sententia temperatam. condunt & condiunt tertiam. Principis auxilium implorat, utiq; aliquo responsò dimittendus erit Victor. Titus Vespasianus mo- mentibus, quasi plurà promitteret, quàm præstare posset, respon- dit;



dit: Non oportet quenquam à sermone Principis tristem decedere. Causam omninò habuit; & (1) reficiendi, cum suâ quoque interfuerit, ædes, quæ suò etiam periculò stabant, ab interitu vindicari: Nam melius est prævenire, quàm post vulneratam causam remedium quærere: & (2) in illa refectioe properandi; cum non omne anni tempus ædificationibus æquè sit propitium, id verò, quod est utile, sub manibus dilabi potest, forsan & factò adversarii subduci & consumi. *Conf. l. un. C. de N. O. N.* & (3) expensas repetendi; nemo enim tenetur facere conditionem alterius meliorem, dum ne faciat deteriozem, *arg. l. 15. ff. Præsc. verb.* & (4) obdenegatas cõquerendi; privatâ enim autoritate sibi jus dicere non licet. *l. 13. ff. quod met. caus.* oportuit igitur ad Magistratum ire. Hòc solò peccavit, quòd vel ex indignatione adversus socium incivilem, vel quòd de bona Judicis competentis voluntate desperaret, ad Aulam Principis immediatè convolavit; cui malo remedium promptum erit, si & error corrigatur, & remedia Juris ordinaria suggerantur.

IV. Et in hanc; tanquam saniozem sententiam communibus itum est suffragiis, factò conclusò: Possè his, quæ hinc ànde prolata sunt, salvis, Supplicanti salutare atque proficuum concedi rescriptum; De cujus contentis & specie externa nunc sit deliberandum. Duo autem se offerebant ponderanda: Quid videlicet facere, quid omittere Victor debuisset? adeoque factum emendari, omissum suppleri debet. Non vetandi quidem subditi sunt, à Principe auxilium extra ordinem petere; sunt quippe & in judiciis causæ extraordinariæ, & privilegiatæ, quas summam, levatò velò & omissis apicibus processuarii juris tractare licet: Dum ne frequenter nimis & absque necessitate fiat. Placuit igitur Victorem, sed modestè, de Juris ordine, & Jurisdictionis gradibus imposterum servandis, admonere.

V. Ex quo discursu Secretarius, qui tum in Consistorio Consiliariis à manibus erat, primam Epistolæ partem concepit: *Non necessario extra ordinem tibi subvenire desideras: Quia tamen viam ordinarii Juris videbatur lignorasse supplicans, hanc ipsi monstrandam unâ decretum fuit: cum non satis sit, taxare atque increpare vitia & errores alicujus, nisi virtutes oppositæ simul*



9  
mul commonstrentur; alioquin titubantem effeceris, ut neutrum  
agat: alterum, quia vetas; alterum, quia ignorat. Sunt autem,  
remedia pro resectoribus bina proposita; Unum personale, Re-  
petitio impensarum cum usuris, videlicet in iudicio societatis;  
Alterum reale, resectæ rei vindicatio. Et quidem non absolute,  
necessariò & cumulativè, sed hypotheticè, per modum consilii  
ac subordinatè data sunt. Finge enim, malle eum suum potius  
consequi quàm dominium insulæ, certè vindicatio non obtru-  
detur invito *l. 52. §. 10. c. f. ff. Pro soc.* ubi Haloandrina lectio ne-  
gativa tolerari potest, si exaudias: posse quidè resectorem vin-  
dicare, & dominium accipere; quòd si tamen quod ita suum est,  
non consequi, sed recuperatione impensarum contentus esse ma-  
lit, multò magis sit audiendus, ut qui de jure suo remiserit; Vel,  
malle resectorem suum, quod expendit, non consequi, quàm  
dominium Insulæ; sive, si non aliter eum velimus dimittere,  
quàm resectæ rei proprietatem obtrudendo, malle eum non con-  
sequi, quod expendit, precium, quàm dominium acceptare: id  
quod idem est, atquè invito dominium non obtrudi: admitti  
eum, si velit, ad impensarum repetitionem. Quin nec volens i-  
pse ad dominium indistinctè venire permittitur, sed interest,  
utrum confestim à restauratione perfecta petat, & repellatur,  
usque dum quatuor elapsi sint menses, atque ex tunc demum  
volens audietur. Cæterum ne frustra interim præstoletur, cen-  
tesimis hæc mora expiatur usuris. Idquè propterea, ut hinc ve-  
ri domini coërceatur negligentia, publico nocitura; & isthinc in-  
vitentur alii, ad tantò alacrius Civitatis interesse conservandum.  
Ne verò quippiam ad plenissimam supplicantis desit informatio-  
nem, duos domini habendi ostendunt modos, offensivum &  
defensivum; ut vel vindicet, si non possideat; vel exceptione  
se tuatur, in possessione constitutus: Unde fluxit pars Epistolæ  
posterior, ETENIM SI SOLUS: ejusque clausula finalis, VINDICARE  
VEL OBTINERE &c.

VI. Postquàm denique totius rescripti argumentum in  
chartam conjectum integrum, & si quid monendum superesset,  
prælectum fuisset, obstare videbantur multiplicia illa facta, non-  
dum probata: metuebantque, ne falsis narratis præjudicium Vi-



etor attraheret socio. Quòd si enim his non compertis rescri-  
batur, prægravabitur ille; sin cognitio causæ instituat, con-  
fundetur Jurisdictio suprema cum intermedia, invitabunturque  
reliqui, ut neglectò juris ordine catervatim aulam occupent,  
Consiliariosque privatis occupatos negotiis distineant, à publi-  
cis verò abstrahant. Sed enim, nihil moræ in eò ! perstitum est  
in sententia; facili negotiò malo huic allata medela; nec enim  
absolutè concipi epistolam erat necesse, sed relativè & ex præ-  
supposito veritatis. Data itaque vel Secretario partes, ut stylum  
accommodet statui causæ & conditionatè loquatur. Qui unicâ:  
*Si ut proponis*, clausulâ totum sic temperavit negocium, ut even-  
tu forsân contrariò, & in probando deficiente Victore, effectus  
epistolæ omnis sit inanis, Victorque minimè victor evadat.

VII. Unde pronum est, neque reliqua superius opposita  
debere in præsens curari. Judex enim competens, ad quem sup-  
plicans remediis ordinariis instructus remittitur, cognoscat (1.)  
utrum ipsi domus fuerit, an nulla. Si est, non mentitus fuit:  
quin & si nulla fuit, cessante tamen Dominò ipse restauravit,  
hòc ipso dominium consequetur, aut impensas cum centesimis.  
(2.) Utrum Socium habuerit, an in solidum Dominus extiterit:  
quod si enim habuit, sed minimè negligentem aut morosum, i-  
pse verò socius prudens partem ad ipsum pertinere, non tamen  
quasi Socius vel Collega, communis operis sollicitudine solidam  
ædificii restorationem, eâ mente ut sumptûs non reciperet, ag-  
gressus est, sed ut totius rei dominium usurparet, Tunc D. Ha-  
driani edictò minimè gaudebit, verùm Judex Juris communis  
placita, quibus in rem alienam sciens impendens, rem suam in-  
super amittit. §. 30. *J. de R. D. custodiet, per l. 5. C. h. u. v. Perez.*  
*in C. ad h. t. in fin. Brunnem. ad h. n. l. in fin.* Eâdem procedet  
ratione, si, quod num. (4) & (6) opponebatur, animadverterit.  
Ad (5) Resp. dist. utrum restaurator nudas impensas cum usu-  
ris repetat; & compensationi quidem locum futurum largimur, se-  
cus tamen si ipsam petat proprietatem; quia speciei cum quan-  
titate non est compensatio. Quod (7) contradictionem Socii  
attinet, separandi erunt tres casûs; aut enim (1) vacuâ planè fuit  
arca, forsân in hortum conversa; & tunc Præses inquirat utrum  
con-



9  
consensu Magistratus oppidani, ut & vicinorum id factum sit, & probatis his, quæ in oppido frequenter in eodem genere controversiarum servata sunt, causâ cognitâ, quid expediat, statuet l. 3. C. eod. & Perez. ib. n. 11. aliquando enim exiguus Civium numerus non desiderat ampliore ædificiorum copiam; crescentibus ergò incolis, nova quærenda domicilia: sicuti in hoc ipso videmus oppido ædes aliquot noviter positas, ubi nusquam tenus hac ullæ extiterunt. Longè magis aræ vacuæ ædificiis erunt cooperiendæ, quando status civitatis exigit, ne hostis forsan obsidens liberum in eam habeat prospectum. Aut (II) Ædes fuerunt, sed quæ refectione tantoperè non indigebant; tunc verum est quod objicitur. Quod si (III) magnopere opus eâ habuerunt, nequiquàm contradictio debebat tendi, quia publica privatis anteferendæ bonis. Quod (g) adferebatur, non obligari Socios ob negotium commune, si alter suum seorsim administrare non potuerit: id nequiquàm absolutè intelligendum, quasi Socius minimè teneatur; sed respectivè, quod non Negotiorum gestorum: Cæteroquin enim communi dividendo utique conveniri potest. Nonum & ultimum resolutionem suam ex ipsa decisione sumit.

## CAP. IV. De usu Legis doctrinali

I.

Contenta textus nostri, sicut & aliorum in jure nostro, duorum sunt generum; quædam expressa; quædam implicita & tacita; quædam activa & dispositiva; quædam absoluta, & ut ita loquar, neutralia: Illa principale concernunt negotium ejusque definitionem; hæc incidenter aliquid ad rem præsentem præcisè non pertinens subaudiendum innuunt, seu usum hujus textus in aliis juris articulis ostendunt. De prioribus usque huc sufficienter credimus actum. Posteriora deprehendimus diversa.

II. Et (1) quidem ex conditione: Si ut proponis, observare licet discrimen inter Constitutiones & Rescripta. Illæ motu proprio



priò post statum Reip. probè consideratum, per modum edicti concipiuntur, atque adeò absolutè exaudiuntur. Hæc non nisi ad instantiam supplicantium, & ut plurimum, unius tantum partis emanant, l. 1. & t. t. C. de precib. Imp. offer. l. 1. & tot. tit. C. de divers. rescript. Coler. de Process. execut. p. 4. c. 1. n. 20. seq. adeoque per modum responsi concipienda, & super veritate præcedentis supplicationis fundanda, atq; secundum eam & exaudienda & interpretanda, semperq; subintelligendum: Si pars, contra quam, rescribitur, aut nullam in adversum opponat exceptionem, aut, certè frivolam c. ex parte 13. de offic. Delegat. nec cujusquam juri eo non auditò, quid deroget. Coler. d. l. n. 30. Castrenf. add. l. 2. C. de divers. rescript. Imò in jure nostro Justinianico per Constantinum Imp. exsertim cautum, in l. 4. C. si contra Jus. Ut licèt non causæ cognitio, sed executio ipsa mandetur, de veritate tamen inquiri oporteat: id quod eo casu ne Canonicò quidem jure exigitur. c. 28. vers. quia v. sæpè. de offic. & pot. Jud. deleg. c. 5. de Sent. & sim. Insuper Zeno Imperator ut omnia rescripta, sive in personam precantium, sive ad quemlibet Judicem manaverint, sub ea conditione: Si preces veritate nitantur cõcipi præcipit in l. f. C. de divers. rescr. εὐν τὰ ἀλήθην ἐδίδοξεν, ut habet Synopsis Basilica eod. add. N. 158. c. 1. pr.

III. Adeò verò necessum, dictam clausulam verbotenus adscribi putant aliqui, ut eâ omissa rescriptum sit nullum, nec ullum oraculi impetrati fructum percipiat mendax precator: Rescripta per falsa narrata vel importunitatem partis contra jus obtenta, ex ipsorum Principum placito perinde habentur, ac si obtenta non essent, inquit Theod. Reincking. tract. de Regim. Sec. & Eccles. l. 2. cl. 2. cap. 8. n. 5. per l. 2. & f. C. si contra jus l. f. C. de Prec. Imp. offer. text. notab. in N. 82. c. 13. Dn. Balth. Christ. Zahn. tr. de Mendac. L. 2. c. 71. & 89. Rationem reddit Jac. Mæstert. de Just. LL. Rom. L. 2. cap. 11. n. 2. edit. Lugd. 1634. vel lib. 1. dub. 45. juxta edit. Lugd. 1647. quòd Princeps, si velit, possit etiam contra jus & veritatem, supplicanti ex gratia, secundum Potestatis plenitudinem subvenire; ad quam voluntatem cognoscendam, opus sit illâ clausulâ, quæ unica efficiat, ne mens concedentis in dubium vocetur, eâ omissâ demum certum sit, noluisse



luisse Principem peculiari illâ gratia uti. Vis & nêrvus conciu-  
sionis in eo latet, ut citra quod de Rescribentis mente sumus incer-  
ti, id necessarium sit Rescripto inseri. Atqui omisâ clausulâ, si pre-  
ces veritate nitantur, incerti sumus, utrum Princeps etiam edoctus  
de veritate, voluerit non obstante obreptione supplicanti subve-  
nire. E. necessariò exprimenda. Et hæc sententia videtur Ponti-  
ficiò quoque jure recepta, dum Gratianus sui Decreti Kalendario  
Zenonis constitutionem inferendo quasi canonizavit, *in c. 16. vers.  
Imperator Zeno XXV. qu. 2.*

IV. Verùm nihilominus alii juris utriusque differentiam  
statuunt, eò quod Alexander Papa in *c. 2. de Rescript.* hanc clau-  
sulam tacitè vult subaudiendam, utcunque non sit expressa. *vid. B.  
Ungeb. ad Decretal. Tit. de Rescript. n. 6. seq.* id quod ex mera con-  
tradicens libidine, aut imprudentia potius, quàm ratione pro-  
manasse asserit *Mæster. d. lib. 2. c. 11. n. 2. p. 180.* quæ tamen verba  
in noviori editione omisit; sicuti & passim stylò longè molliori  
adversus Canonistas ibidem utitur: statuitque oportere & Ponti-  
ficem, si etiam obreptionis certior factus, veritateque cognitâ,  
mendaci prelatori velit annuere, istud in rescripto suo mani-  
festè exprimere; Ne, si dictam clausulam tacitè subaudia-  
mus, hujus rescripti fructu prelator excidat. Quibus verbis  
hoc eum velle puto: quòd duo fingendi sint casus; alter quò  
perindè sit Pontifici, vera narraverit supplicans, nec ne; cum & ve-  
ritate compertâ velit idem rescribere, adeoque voluntatem habeat  
enixam, præcisam & absolutam prelatori subveniendi; Alter, quò  
non nisi veritate prelatori adistente velit exaudiri: quò posteriori  
casu parum quidem referat, adjectam non esse clausulam; Sed prio-  
ri casu omnimodam Pontificis voluntatem nemo divinare queat,  
nisi hujus voluntatis indicativâ adjecerit clausulam: eâ omisâ facilè  
fructu rescripti supplicans possit excidere, si adversarius contra  
eam de sub & obreptione excipiat; nam replicanti de absoluta &  
enixa Pontificis voluntate, reponetur incertitudo facti. Quâ di-  
stinctione conciliari atque salvari Jus utrumque posset: Quòd cau-  
su priori servandum sit Jus Civile, posteriori Canonicum. Sicut  
neque differentiam agnoscit *Jac. Brandmyllerus Introd. Jur. Can.  
diff. Rescripta non semper veritate nituntur. p. 400.*

D

V:



V. In Camera certè Spirensi, quoniam in extrahendis Processibus standum est narratis partium *l. 19. §. 1. ff. de Jurisdic. Geil. lib. 1. Obs. 31. n. 1.* omnia mandata, cum vel sine clausula, conditionem in se habent tacitam, *Geil. l. 1. Obs. 14. n. 1.* Neque juri Justiniano admodū adversantur subintellecti sensūs & conditiones. Qui cavet Judicio fisci, non tenetur sponte venire, sed impunè expectat citationem: quia promisit sub cōditione: Ubi opus est, sic ubi urgeatur. Quare, qui ex concessione adversarii vadimonium deserit, perjurus non est, nec stipulatio committitur *l. f. ff. qui satisd. cog.* Quæ in juramentis subaudiuntur, enumerat *DN. Struv. Ex. XVII. th. 83.* nempe (1) Si Deus voluerit, si Deo placuerit. *v. c. 3. XXVII. qv. 2. c. 5. XXII. qu. 2.* quam ipsam tamen expressam reperimus *in c. 31. XVI. qu. 1.* (2) Si res in eodem statu permanserit, rebus sic stantibus. *c. cum inter. de Renunc. l. 38. pr. ff. de Solut.* Plura de conditionibus repetendis *vid. in l. 18. pr. & §. 1. ff. de Condit. Inst. l. 38. ff. de Leg. I. l. 77. in pr. ff. de Cond. & Dem. Balth. Christ. Zahn. tr. de mendac. Lib. 3. c. 7. passim.* Sed ne justō, ipsoque institutō simus prolixiores, properamus ad finem, paucis notantes, (2) Quòd ubi ordinaria suppetunt remedia, ad extraordinaria non sit confugiendum. (3) ex nostro textu *junct. l. 52. §. 10. ff. pro Soc. cum Gothofredo* ibi notamus, si cui plura competunt remedia, integrum esse leviolem eligere viam. Plura autem, quæ supplicanti nostro competunt remedia, sunt (1) Rei vindicatio, propter dominium acquisitum, de quo *vid. Joh. Theod. Sprenger. in tract. de jure edificii, cap. 8. & quos plures allegat Brunnem. in f. h.* (2) Retentio usque ad sumptuum refusionem, si eos malit *h. l. 4.* (3) Actio pro Socio *d. l. 52. §. 10. ff. pro Soc.* (4) Comuni dividundo. *l. 31. ff. de Dam. infect.* (5) potest interdictō Uti possidetis experiri. *l. 12. ff. Com. div.*

VI. Colophon esto Usus Legis hodiernus, quem *Car. Molinæus tract. de Usur. n. 57.* nullum superesse dicit. *Perezius autem ad h. n. t. n. 12.* de Universali abrogatione dubitat. Nimirum, aliud est: absolutus aliquis Non-usus; aliud, positiva abrogatio. Possunt casus ita rarò in una Civitate vel foro accidere, ut Advocatorum nemo meminerit, juxta hanc Legem decisum fuisse, non confestim tamen ad desuetudinem argumentabimur; cum Judices ut plurimum Legum omnium non adeò gnari, poterint



9  
tuerint vel ex alio textu, vel cerebrinâ æquitate causam decidisse, vel transactione partium lis finita fuisse. Sanè, superiori bello germanicò finitò cum plurimi agri à Dominis deprehenderentur deserti, publicis edictis ad eorum culturam revocabantur, spaciò certò ad id concessò, quò elapsò novis Colonis assignarentur: quàm autem necessaria ruri est agri cultura, tam Civitatibus ædium structura. Licetque Reip. quæ publicò sumptu domum extruxit, domino intra statutum tempus non reluente, eam sub hasta distrahere, juxta l. 46. §. 1. ff. de don. inf. cur privatis simile jus invidet? Autoribus de Legibus abrogatis, utpote testibus particularibus, deque suo saltim foro testantibus, fides absolutè & generaliter haberi non potest.

Sed opere absolutò Divino Numini devotas agimus gratias!

\* \* \*

**D**um solvis doctum sermonem in TECTA DOMORUM,

ac monstras, ROTH, commoda magna simul:  
Rem scitu dignam proponis, Candide Amice,  
Ausus exorno laudibus, ecce! probos;  
Quod si sic studii cœpti pertexere telam  
Pergas, ut pergis, commoda quanta feres?  
Ipse, Tuis posthac cunctis conatibus alnum  
præfens sit Numen, cordicitus voveo!

**CHRISTOPH. PHILIP. Richter, D.**

COM. PAL. CÆS. FACULT,  
Jur. Ordinarius & P.P.

D 2

Dum



NOBILISS. ATQVE PRÆCLARE DOCTE DOMINE  
ROTHI

En, bonâ fide, Amice Lectissime, quod ex Patrônorum Imperio elaboratum, meæ præ aliis qualicumque censuræ exhibere voluisti, remitto specimen; atque non Illorum modò in studia Clientum suorum vigilem, providamque collaudo inspectionem, sed tuam quoque tum in studio juris & frequentandis prælectionibus assiduitatem & diligentiam, tum præprimis in hac disputatione adhibitam industriam Patriæ tuæ Patribus, dulcissimoque Parenti non possum non commendare. Neque citra temeritatem taxare quisquam potest, ædes ex integro non constructas, sed resarcitas & ab interitu vindicatas repræsentari: quia plus cautionis & artis aliquando in refectione ruinosarum, quam instauratione novarum Architecto opus est; cum ibi ductum sequi oporteat alterius, & multis irretiat impediaturque irregularitatibus, hic verò liberas habeat manûs, & suò quidquid agit, dispenset arbitriò.

Age itaque atque alacer opus ceptum perfice & publicæ siste luci, perversa nil quidquam metuens judicium; Tritum enim est proverbium: Qui ad plateas ædificat, eum varia manent judicium. Satis erit Tibi, Patronis placuisse, atque optimi Parentis expectationem implevisse. Si quid, ut tantò structura adpareat nitidior, conferre poterò, lubentissimè contribuam. Præprimis, quòd eum in me velis collatum honorem, qui exercitio disputatorio intersim arbiter, quod præsidium, ut vocant, si tamen indiges eo, volens tibi commodo, atque tam de exantlato labore compositionis ex animo gratulor, quàm gloriosam in conflictu victoriam, felicissimum denique studiorum exitum adprecior. Faxit DEVS ut ad penates reducem optatissima excipiat conditio, atque ædes splendidissimæ. Vale atque in prosperis recordare.

*Tui officiosiss.*

PRÆSIDIS.



Dum PRIVATA Tibi sic curæ, dulcis Amice,  
expectant operam PUBLICA TECTA  
Tuam.

*Hæc paucula  
Nobilissimo Dn. Autori  
ac Respondenti, boni  
ominis ergo relinquere voluit*

J. P. PRÜKELIUS, D. Medicus ordi-  
narius ac Provincialis Neostadiensis  
ad Orlam.

Non tantum alterius juvat impalescere char-  
tis,

Ingenii & dotes claudere corde suo:  
Tentandum est aliquid; quod, Præstantissime  
ROTHI,

dum facis, atque animas pulpita docta Tuis  
Vocibus & scriptis: Hinc jure merebere tandem  
Doctores titulos, Augur eroque Tibi,  
Munere quod celebris Te ornabit Patria digno,  
ornabis Musis Tu Patriamque Tuis.

*Hæc Nobilissimo ac Literatissimo  
Dn. Respondenti, boni ominis  
ergo apponere voluit*

BALTHASAR Schmidt / J. U. Ddus.

D 3

Nobi-



*Nobilissimo ac Litteratissimo*  
**DN. IOH. CORNELIO ROTHIO,**  
Conterraneo & Amico sincero  
ac candido,  
*Publica Themidis pulpita scandenti,*  
**FELICITER!**

\* \* \*  
**D**octus docta sacrae meditaris Palladis arma,  
In Themidis sanctae praelia amica ruens?  
Quid mirum! Exstimulat clarò Te sanguine Ma-  
Ingenii excellens impetus ille cluit. (vors!  
Ergò ostende Virum Te! Pugna fortiter! Ausis  
Victor mox capies laurea ferta Tuis!  
*accinebat gratulab.*

**ANDREAS JANUS.**

---

**C**essit Hiems: Sequitur nunc Veris amabile  
tempus,  
Quò varias florum terra resumit opes.  
Vere novò Ingenii solers industria floret,  
Sicque Tui Fructus mox capiesque bonos  
*Hisce Nobilissimo Dn. Auctori, Amico  
suavissimo gratulari, optatamq;  
metam animitus apprecari  
voluit Sympatriota*

**IOHANNES Pfaffreutter.**  
Expe-



9  
Expetis incultò, ROTHÌ charissime, versu  
prosequar ut veteri pro ratione Theses.  
Annuo, me carmen TIBI scribere pectoris ignis  
Sincerus cogit, linguere cœpta jubet:  
Quod prodis, verum est: SOCIOS ACCIRE FIDELES,  
Estq; bonum, referens nunc Tua docta manus;  
Quo simul ostentas, Te nunc sociâsse Virorum  
Doctorum numero: ritè sequetur HONOR:  
Cœpta beet Deus ampla precor successibus adsit  
ut studiis PATRIÆ commoda mille feras!

*Pauca hæc Nobilissimo ac Doctissimo  
DN. Autori ac Respondenti Con-  
terraneo suo suavissimo  
apponere voluit*

M. Ioh. Georgius Frenzel.

Difficilem tractas LEGEM, Doctissime ROTHÌ,  
hoc Patria ut penset, linguâ animoque  
precor!

*in honorem*

*Nobiliss. Dn. Autoris, Conterranei  
sui sinceri, Fautoris atque Amici  
suavissimi, hæc paucula  
scribere voluit*

Georg. Sigismundus Freudenhoffet.

*Stn.*



STUDIORUM TUIS PRIMITIIS

**M**acte! sacros Themidi quos foetûs edere  
gestis, (runt.  
Spes Patriæ & Magni magna Parentis e-

*Paucis hisce*

*Nobilissimo ac Praeeximio DN. JOHANNI CORNELIO  
ROTHIO, Affini & Sympatriote suo singu-  
lariter honorando congratulatur*

Johannes Ludovicus Branket,  
LL. Stud.

---

Errata.


Cap. I. §. 4. lin. 7. sed Augustam, *adde*, hoc loco denotat. §. 9.  
l. 46. in pr. ff. de Dam. inf. Cap. II. §. 4. lin. 24. (3.) Divus &c.  
Cap. III. §. 2. lin. 25. Separatim. §. 4. lin. 11. frequenter. Cap. IV.  
§. 2. lin. ult. ἀληθῆ. *Cætera beneyolus ac eruditus Lector ipse  
corriget.*














ULB Halle  
005 132 401

3



1077









Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19  
Farbkarte #13  
B.I.G.



B. V.

JURIDICA 1672, 5 5

mens

TIONEM

Ædif. Priv.

DVLTV MAGNIFICI  
Ordinis

IDE

LO

IMO, CONSULTISSIMO  
ENTISSIMO

BEIERO, U.J.D.

PROV. SAX. ADVOCATO  
ITISSIMO,

ceptore æviternum  
do

adam proponit

ELIUS Roth,

NENSIS

ESPONDENS

horâ locoq, consuetis.

Æ,

IANO, Ann. 1672.

